

QVÆSTIO MEDICA

CARDINALITIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM

Die Iovis 14. Martij.

M. GERMANO PREAVX DOCTORE MEDICO PRÆSIDE.

An somnus salubrior, qui breves facit tenebras?

I.

SOMNVS mortis speculum: nihil quippe est, quod illius speciem accuratiùs delineatam nobis ponat ob oculos, quàm corpus amicâ vi soporis elisum, blandâ quietis necessitate prostratum, immobile situ, sine voce, sine cognitione, sine sensu. Hujus attenta cogitatio ad piè vivendum tàm utilis, quàm usus ad benè beatèque degendum est necessarius. Is primos vitæ carceres aperuit, non vigilia; otium, non labor: humani generis fons antè ebibit soporem, quàm sitiit quietem; antè dormiit, quàm laboravit. Fœtus humanus à somno vitam orditur; quùm primùm in lucem egressus, ut ipsam flebilem vagitu salutavit, somno premitur per aliquot menses, vix aut parum vigilat. Nihil igitur in homine antiquius τῇ τῶν αἰσθητικῶν καταλήψει ortâ ex detentis intra cerebri ventriculos speciebus animalibus (non unius indolis, at diversæ pro facultatum varietate, quarum famulitio mancipantur) qui quamdiu inibi quieti ac immoti perstant, sensus

communis cum externis feriatur, musculi motus προαιρετικοῦ organa otiantur, non in somnambulis. Remoram hanc facit spirituum segnities & ad motum ineptitudo, jucunda & amabilis à sensoriis motusque organis abductio ac revocatio, cibi & humorum benigna divaporatio, aditum ad sensus motusque instrumenta denegans, cerebri rectè conformati temperies, vel ad humiditatem vergens. In hac placidâ functionum animæ vacatione (veriùs remissione) natura non distracta, operibus suis tota vacat. validiùsque incumbit, spiritus generis omnis elaboratiores cudit, copiosos congerit, alimenta & succos crudiores concoquit, humores fervidiores inutiles ac noxios domat & temperat, tum ab utilibus secernit, & ad excretionem apparat, succos alibiles defœcat, partium intemperiem calidam retundit & siccitatem emendat. Somni essentia una, causa unica, differentia multiplex, finis unus, effectus varij, dispar salubritas, qui commodissimo tempore initur, laudabiliorem corporis humorum & spirituum constitutionem & mentis majorem tranquillitatem indicat & præstat, cæteris præstat longéque salubrior existit.

II.

SOMNUS res naturalis non est, nec vigilia, verùm utriusque vicissitudo reciproca: Hujus quando calor nativus foras, illius quando intrò viam affectat; hinc est quod per somnum coctio meliùs fit, atque spirituum in suis fontibus generatio, & proventus uberior, per vigiliam eorumdem distributio: coctio caloris opus, distributio motionis: coctio duplex, privata & publica, utraque in partibus officio publico fungentibus & principibus; illam nulla excipit anadosis, sed hanc dumtaxat; illa indesinenter fit, hæc per intervalla; illa á calore partibus insito & ex rerum adjacentium vicinitate adventitio perficitur; huic prætereà identidem subsidio venit ac suffragatur ascititius à spirituum & sanguinis ad interiora confluxu: distributio fit eorundem motu à centro ad circumferentiam. Ad concoctionem cessuram in commodum corporis universi morâ & cunctatione opus est modò longiore, modò breviore: eam promovet somnus calore intrò coacto, non omnis ex æquo. Brevis eâ non peractâ desinit, parum conducit: longior eâ absolutâ ac completâ perseverat, qui dum alimenti confecti & spirituum in omnes corporis partes derivationem prohibet, excrementorum tum crassorum tum fuliginorum evacuationem præter sudorem cohibet. Levis paululùm confert, πολυόνειρος est, senibus & naturâ suâ calidis familiaris. Profundus plurimùm juvat, cœcus est, in recens natos infantes potissimùm cadit. Interruptus duplici eâque oppositâ spirituum & sanguinis agitatione an plus prosit, vel noceat, jure dubitatur? Continuus & placidus naturæ coquenti præclarè opitulantur, cui non parùm officiunt acres humores & tetri fervidioresque halitus, à quibus turbulentus excitatur. Horum quilibet nocturnus est, vel diurnus. Brevis, levis, interruptus & turbulentus ab intemperie cerebri calidâ vel siccâ, humorum vel fuliginum acriorum morsu vel animi sollicitudine nimiâ. Longus, altus, continuus ab intemperie cerebri frigidâ vel humidâ, humorum benigniorum aut frigidorum exupe-

rantiâ, ſpirituum craſſitie, vel vaporum copiâ ac denſitate. Placidum concitant ſuavis & copioſa Anathymiaſis, cerebrum naturaliter conſtitutum irrigans afficienſque & mentis tranquillitas.

III.

ANIMÆ functiones hilaritate ac voluptate quâdam condiit natura, ut in iis obeundis aut non laboretur, aut labor ametur. Somno ſua ineſt ſuavitas, ſua quoque ineſt moleſtia. Non omnis itaque quaſi dono Divûm gratiſſimus ſerpit, verùm modò ὑπάνωδος, modò ἀρχώδης exiſtit: neuter tempeſtivus, niſi de nocte obrepat: hic longiores, ille breves facit tenebras laborioſi inſomnij abſentiâ & vigiliarum vacuitate: eamobrem arctus eſt, ſtertoris & gravis anhelitus expers, nec interruptè ad exactam noctem protenditur, hyeme & vere quàm æſtate longior futurus. Is quovis anni tempore tametſi aliquando brevior, cerebrum à naturali ſuâ temperie modoque minimè deflexiſſe, ſed blandæ ἀναθυμιάσεως humenti facultate ſic perfuſum, ut illæſa & nullatenus labefactata ſit illius conformatio certè demonſtrat (ut effectus cauſæ ſuæ index eſt certiſſimus) humorum & ſpirituum æſtum motumque ſic repreſſum, ut non modò ſenſus interior, ſed & imaginatio vacare vinculo irretita videatur, ut otiante ſenſu communi deſidere cogatur ipſa, nec ullâ mentis perturbatione, humorum mordacium aut fumorum aculeis utriuſque facultatis quies interpelletur: In ea potiſſimùm partium temperie, humorum omnium εὐηθεία, ciborum benignitate, quam coctionis robore ſomnus longus breviori feliciùs conciliat: hinc ejus & alimenti ſocietas mira eſt ad ſalutem & integram valetudinem tuendam, vel etiam reſtaurandam concordia, σῖτος ὕπνος σπλάγχνοισιν.

IV.

VISCERVM partiumque omnium naturalis optimaque conſtitutio, ut & ſpirituum puritas atque ubertas functionum integritate liquidò ſe produnt. Confeſtim à ſomno animæ munia perfectiùs eduntur, corpus alacrius & vegetius factum facilè expeditèque movetur, ſenſus tunc perſpicaciores rectiùs de objectis ſuis judicant, mens ad præclara quæque ſtudia & artes erectior, non ab omni equidem pari ſucceſſu, verùm ab eo præ cæteris, qui breves facit tenebras; per eum quippe validus conſtanſque eſt ſpirituum & ſanguinis ad interiora recurſus, eorum cunctatione moràque diuturniore nec interrupta coctio cibi & ſanguinis perfectior, ut & elaboratio, tum blandi ſuaveſque halitus jugiter expirantes ſuo madore roſcido cerebri ſquallorem aliarumque partium per vigilias & labores inductum, temperant, corrigunt, ſomnum protrahunt, ſitim ſedant, & ex puriore & vaporoſâ ſanguinis parte cum aëre defœcato ſpiritus influentes in ſuis fontibus perenniter generantur, quorum maxima tunc ideò congeritur copia, quòd nulla aut ſaltem perexigua fiat eorum diſſipatio ſenſibus internis & externis planè quieſcentibus, & otioſis utcumque motus voluntarij inſtrumentis ex uſus neceſſitate non agentibus.

684

V.

VT de somni salubritate rectè statuatur, attendendum ad tempus, quo quis indulget: eo ut legitimè fruamur, dies cedit, nox legem facit rerum colorem auferens & silentium imperans, ne intempestivè evigilemus, causa somni nondum excussa, unde capitis gravitas, corporis segnities. Eo insititio diem diffindere impunè non licet: quot horarum esse debeat definiri non potest. Alimenti in chylum conversione peractâ, & sanguine ex eo genito, utroque succo à suis recrementis repurgato, tenuioribus utcumque discussis, crassioribus in propria receptacula propulsis, aut ab iis tanquam convenientibns prolectatis, & inibi coacervatis, spirituum per vigiliam præcedentem, laborem aut exercitationem jacturâ abundè reparatâ, peropportunè desinit, præsertim si tunc lux orientis diei emicet, ut natura sanguinem & spiritus in omnes corporis partes quoquoversum diffundens, aërem lumine suo & calore faventem habeat. Per id temporis si quis dormiens in alterutrum latus molliter decumbat, manibus & cruribus paululùm reductis, nec ore hianti, placidéque adeò quiescat, ut nec stertat nec ronhisset nec vanis spectrorum imaginibus ejus phantasia deludatur, & experrectus tantùm mente valere & corpore vigere se sentiat, quantùm ætas & nativa constitutio patitur, somnum hunc non modò salubrem, ut incolumitatis indicem, sed & vindicem & quovis alio salubriorem pronuntiare meritò absurdum non erit, talis autem haud dubiè is est, à quo noctis brevitas existit.

Ergo somnus salubrior, qui breves facit tenebras.

Proponebat Lutetiæ CLAVDIVS PVYLON Parisinus, A. R. S. H. M. DC. LXIX.

PARISIIS,

Ex Typographia F. MUGUET, Regis ac Illustriss. Archiepisc. Parisiensis Typographi, viâ Cytharæ, ad Insigne Adorationis trium Regum.